



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XLIII. Gregorii Papae I. Ad Ioannem Episcopvm Syracusanvm. De  
discordia inter ipsum & Venantium patricium facta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

EPISTOLA XLIII.  
GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM SYRACVSANVM.

De discordia inter ipsum & Venantium  
patricium facta.

*Gregorius Ioanni episcopo Syracusano.*

**Q**VAMVIS causa fuerit quæ fraternitatis vestræ animos ad iracundiam non immerito prouocaret, vt nec oblationes domini Venantii voluissestis suscipere, nec in domo ipsius sacra Missarum sineretis solennia celebrari; tamen quia ita terrena agi debet vtilitas, vt nullum vos iurgium a caritatis valeat connexione disiungere ; proinde caritatem vestram, sicut dudum scripsimus, adhortamur, quatenus & oblationes antedicti viri omnimodo in dulcedine & Deo placita debeatis sinceritate suscipere, & in domo ipsius Missarum peragi mysteria permittatis, vt, sicut scripsimus, si fortasse voluerit, per vos debeatis accedere, & celebrando apud eum Missas priorem gratiam reformare. Oportet namque filiis sacerdotalem in vos affectum impendere, & in causis, prout ratio suffragatur, iurisdictionem ecclesiæ vestræ minime præterire. Hoc ergo considerans, necesse est, vt ita se circa eos fraternitas vestra discreta moderatione exhibere studeat, vt & quod negotii qualitas exigit, salubriter peragat, & a paternæ caritatis gratia non recedat.

EPISTOLA XLIV.  
GREGORII PAPÆ I.

AD BONAM ABBATISSAM.

De monasterio eius in melius transmutando.

*Gregorius Bonæ abbatissæ.*

**E**CCLESIASTICA damnum non sentit vtilitas, si res alii competentes cognita veritate restituat : atque ideo cognouimus Ioannem quondam presbyterum sanctæ Romanæ ecclesiæ, cui Deo auctore deseruimus, in domo iuris sui posita in hac vrbe Roma, iuxta thermas Agrippinas, oratorium construxisse ; ibique quosdam redditus le-